

assumere aut susceptum retinere et protrahere.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. die 17. Septbr. 1759.

(Bull. r. Continuatio t. I. p. 227 Ed. Rom. 1835; Anal. J. P. Janvier et Fevrier 1864 p. 481.)

Literae Pauli IV. et Pii IV., per quas statuitur Clericos principatus Cataloniae et Comitatus Rosilionis in habitu et tonsura incedere debere, alias privilegio clericali non gaudeant, valent et intelligi debent juxta terminos capitulo VI. sessionis XXIII. Concilii Tridentini.

Pius PP. V. ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exposito alias fel. rec. Paulo Papae IV., praedecessori Nostro, pro parte charissimi in Christo filii Nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, quod, licet juxta canonicas sanctiones Clerici habitum et tonsuram clericales honeste deferre, alias privilegio clericali minime gaudere deberent, verum in principatu Cataloniae et Rosilionis et Ceritaniae comitatibus, eidem Philippo regi subjectis, dictorum Clericorum sine habitu et tonsura hujusmodi incidentium tanta inoleverat delinquendi licentia seu potius insolentia, ut nulla fere in principatu et comitatibus praedictis homicidia, rapinae, assassinia et alia atrocia crimina commitebantur, quorum aliquis clericus auctor vel particeps non existeret, idque ex eo provenire credebatur, quia dicti Clerici, cum per curiam saecularem coerceri et a judicibus ecclesiasticis poena sanguinis affici non possent, juxta exigentiam delictorum non puniebantur et propter eorum impunitatem crescebat in eis peccandi libido et facilitas veniae innocentibus delinquendi occasionem praebebat et alii impunitatis hujus-

modi exemplo, ad similia facinora perpetranda invitabantur.

§. 2. Dictus praedecessor, ipsius Philippi regis supplicationibus in ea parte inclinatus, ven. fratri Salvatori Episcopo Clusinensi et suo ap. Sedis in regnis Hispaniarum tunc nuncio, per ejus in forma brevis literas commisit et mandavit quatenus omnes et singulos, tam conjugatos quam alios simpliciter tonsuratos et minorum ordinum Clericos non conjugatos, nullum beneficium ecclesiasticum obtinentes, in principatu et comitatibus praedictis pro tempore existentes, per edictum publicum in cathedralibus et metropolitanis Ecclesiis principatus et comitatum hujusmodi, dum inibi populi multitudo ad divina audienda conveniret, alta voce denunciandum et in valvis dictarum Ecclesiarum affigendum, moneret et requiret ac moneri et requiri faceret, ut infra terminum duorum mensium, quos eis pro peremptorio termino et tria monitione canonica assignaret, de caetero vestem prolicam et birretum rotundum ac coronam, more illarum partium Presbyterorum saecularium honeste deferrent, et sine armis offensivis incederent, et si, dicto termino elapso, non deferrent et sicut praefertur non incederent, eosdem foro saeculari subjectos fore et tamquam laicos per curiam saecularem, etiam usque ad vindictam sanguinis ultimique supplicii poena puniri posse, et quod, elapso anno ab edicto hujusmodi, vestem et birretum ac coronam hujusmodi ad minus per sex menses ante perpetratum delictum detulissent, probandi onus eis incumbet, in dictis requisitione et monitione, eadem auctoritate decerneret.

§. 3. Felicis record. Pius PP. IV. vero, ad ipsius Philippi regis supplicationem, mandatum ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis

honest., mores).

433

literas praedictas per suas in forma brevis literas approbavit et innovavit illasque perpetuae firmitatis robur obtinere ac perpetuo inviolabiliter observari debere et quatenus literae dicti Pauli praedecessoris, tunc publicatae et executioni demandatae non essent, per dictum Salvatorem Episcopum aut alium pro tempore existentem partibus illis suum et dictae Sedis nuncium, illarum forma servata, juxta illarum tenorem et formam publicari et executioni demandari potuisse et debuisse decrevit, concessit et mandavit.

§. 4. Et quia ab oeconomico Concilio Tridentino sess. XXIII. cap. VI. statutum et ordinatum existit, quod nullus primae tonsurae iniciatur aut etiam in minoribus ordinibus constitutus fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario Clericorum aut aliqua schola vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versetur; in Clericis vero conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII.: *Qui cum unici*, modo ii Clerici aliquius Ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati etiam Ecclesiae servant vel ministrent et clericali habitu et tonsura utantur, nemini, quoad hoc, privilegio vel consuetudine etiam immemorabili suffragante.

§. 5. Praefatusque Pius praedecessor, per alias suas sub plumbō literas, quod omnes gracie et concessiones in omnibus et singulis, quibus illae statutis et decretis dicti Concilii contrariantur, ipso jure revocatae, cassatae et annullatae ac ad Concilii hujusmodi terminos atque limites reductae essent et esse censerentur et secundum decreta dicti Concilii tantum observarentur, nec aliquid adversus

dicta decreta et statuta apud aliquos permetterent nec in aliquo suffragari possent, sed ea perinde haberi et reputari debere, ac si numquam emanasset, declaravit, statuit et ordinavit, prout in singulis praedecessorum literis et Capituli Concilii hujusmodi, quorum omnium tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habemus, plenus continetur.

§. 6. Cum autem nuper praefatus Philippus rex Nobis exponi fecerit, quod a nonnullis dictas priores literas Pauli et Pii praedecessorum per Concilium et posteriores literas dicti Pii praedecessoris hujusmodi revocatas aut saltem moderatas et ad decretum Concilii praedicti reductas fuisse haesitetur ad tollendam hujusmodi dubitationem, Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus dubitationem et haesitationem hujusmodi de benignitate apostolica tollere dignaremur.

§. 7. Nos igitur, considerantes priores literas dictorum praedecessorum, ut in eis contenta, statuta et ordinata, justa, honesta et rationabilia esse, cum Clerici ab illicitis et in honestis se abstinere debeant, ipsique Clerici, qui clericali charactere illiusque privilegiis et immunitatibus uti, frui et gaudere desiderant, habitum et tonsuram Clericorum prout Presbyteri principatus et comitatum hujusmodi deferre debeant, ipsius Philippi regis asserentis in principatu et comitatibus hujusmodi Presbyteros modo praedicto incedere consueisse supplicationibus hac parte inclinati, dictas priores literas, quarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, a statutis et ordinatis in Concilio hujusmodi, neque per posteriores literas dicti Pii praedecessoris revocatas esse, sed tantum ad terminos et dispositionem dicti cap. VI. sess. XXIII. reductas

esse et censeri debere in omnibus et per omnia, per praesentes auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitude, declaramus.

§. 8. Et ut priores literae praedecessorum hujusmodi majorem firmatatem et robur obtineant, illas confirmamus et approbamus et inviolabiliter observari debere juxta terminos dumtaxat dicti capituli VI. mandamus; et si praefati Clerici primae tonsurae non conjugati, beneficia ecclesiastica non obtinentes et conjugati, contenta in dictis prioribus literis ipsorem praedecessorum, juxta ordinata et statuta in dicto sexto capitulo Concilii hujusmodi non observabunt et habitum et tonsuram dictos, prout Clerici principatus et comitatum hujusmodi deferre consueverunt et deferunt, ut praefertur, non detulerint, foro et immunitate Clericorum gaudere et frui non possint, sed ut mere laici habeantur et reputentur et ut tales laici per judices saeculares, prout in dictis prioribus literis continetur, capi, carcerari, puniri et castigari possint et valeant.

§. 9. Et nihilominus venerabili fratri Archiepiscopo Rossanensi apud praefatum Philippum regem nostro et Sedis Apostolicae nuncio, quatenus priores literas praedecessorum hujusmodi, illarum forma servata et juxta illarum tenorem et formam et juxta terminos dumtaxat dicti capituli sexti, ac etiam praesentes in Ecclesiis praedictis publicare et executioni demandare faciat.

§. 10. Necnon venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis dicti principatus et comitatum, easdem praesentes et contenta in dictis prioribus ipsorum praedecessorum literis ac capitulo et praesentibus observare illisque obedire et contra illas venire et reclamare non posse.

Clericis quoque, tam regularibus quam saecularibus, beneficia ecclesiastica obtainentibus vel in sacris ordinibus constitutis, sub excommunicationis poena, ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus.

Datum Romae die 13. Oct. 1567.
(Bull. r. t. VII. p. 619. Ed. Aug. Taur.)

Sacerdotes non possunt uti vestibus pomposis, variatis etc. vel ab Ordine alienis. Concil. Nicaen. II. cap. 16. cap. *Omnis jactantia* 1. caus. 21. q. 1. cum similibus.

Sacerdotes extra Domum non debent comparere sine ueste sacerdotali; cap. *Sine ornatu* 4. caus. 21. q. 4. cum similibus.

Colonien.

S. R. C. censuit et decrevit Canonicorum ejusdem Capituli habitum uniformem, nullo personarum habito discrimine, eumdem decentem et Clericis convenientem esse debere absque ullo colore luxus et splendore, juxta praescritum Sacrorum Canonum.

Die 13. Martii 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 195.)

Nos ipsius Philippi regis nobis in hac parte humiliiter porrectis supplicationibus inclinati excommunicatio, anathematis et interdicti aliarumque ecclesiasticarum sententiuarum et censurarum in ipsius Pii praedecessoris constitutione contentas poenas, in eisdem Hispaniarum regnis quoad laicos ac fratres milites tantum quarumcumque militiarum, etiam praecettarias et beneficium ipsarum militiarum pro tempore obtinentes, dummodo dicti fratres milites sacris ordinibus iniciati non fuerint et agitationes tauorum festis diebus non fiant, aucto-

ritate apostolica tenore praesentium, tollimus et amovemus.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Aug. 1575 Pontif. anno 4.
(Bull. r. t. VIII. p. 129. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Episcopus contra Clericos non deferentes habitum, postquam ter monuit, potest illos privilegiis clericibus privare. Sac. Congr. Immunit. in Aquilana 5. Martii 1641, in qua sic respondit Episcopo, „quod Clericis delinquentibus, non incidentibus in habitu et tonsura, non inservientibus Ecclesiis fiat praeceptum cum termino competenti sub poena privationis privilegiorum clericalium, quod si non paruerint, poterit procedere ad illorum privat. ser. ser.; qua sequuta, gaudere non poterunt.“ Lib. 3. *Decretal. Paul. fol.* 139. Et similiter decrevit in Castrensi. die 21. Martii 1645 lib. 3. *Decret. Paul. fol.* 246. Et in Anglonen. 15. Julii 1654 lib. *Decret. Roccii* fol. 565. Episcopus potest punire Clericum delinquentem et requisita Concilii non habentem et tamquam Laicum se habentem, etiamsi Judex Laicus praevenitur, a quo repetere possit, dummodo ille per declarationem a jure vel ab homine servatis servandis factam, non fuerit privilegiis clericibus denudatus. Sac. Congr. Concil. 12. Nov. 1630 quam refert Sperell. dec. 17. n. 33. in fine, ubi testatur, hanc resolutionem fuisse a Sanctissimo D. N. Urbano VIII. canonizatam et approbatam et hoc facit casus sequens:

Clericus primae tonsurae a die quo fuit ordinatus per septem annos continuos non incessit in habitu et tonsura; immo inter dictum tempus exercuit Officium Judicis: commisso delicto, fuit a Judice Laico inquisitus, citatus et domi sistere jussus; sed arrepta fuga reassumptaque habitu coepit Ecclesiae inservire.

Pro sua directione supplicat Episcopus Nicien. declarari:

I. An iste Clericus gaudeat privilegio fori?

II. An Episcopus possit Judici Laico fundanti super notorietate a reassumptione habitus in fraudem, inhibere, ne procedat, nec quoad personam nec quoad bona, donec ipse cognoscat, an gaudere debeat?

III. An saltem id possit visis litteris primae tonsurae?

IV. An contra Judicem Laicum nihilominus non desistentem possit procedere ad censuras?

V. An possit Episcopus hanc causam sibi vindicare?

VI. An debeat?

Die 30. Maii 1676. Sacr. Congreg. Concil. respondit ad omnia: Affirmative.

Limburgen.

Episcopus Limburgensis exponit: „Quod in dioecesi sua parochus est, qui licet aliis Officii sui partibus non desit, magna tamen animi levitate tantum aes alienum contraxit hucusque atque contrahere pergit, ut sententia judicis saecularis tertia reddituum ipsius pars a creditoribus jam occupetur, quo fit ut tam parochiani sui quam exteri, quibus pecuniam debet, scandalizentur et in ipsius persona minime sistendo, totum Clericorum statum conviciis suis consecutur. Accedit quod in aere alieno faciendo eo jam sit progressus, ut non mediocrem pecuniae summam e fabrica Ecclesiae parochialis desumptam in suos usus converterit, ea utique intentione, ut deinceps restitueret, sed eo etiam periculo, ne postea restituendo sit impar.“

„Jam vero cum saepe serioque monitus iste parochus hactenus non resipuerit, nec juxta indolem ipsius spes sit fore ut resipiscat in poste-

rum, propter egestatem autem ipsius poena pecuniaria multari non possit neque sperandum sit, poenas ecclesiasticas privatione beneficii minores ad meliorem frugem eum esse reducturas, Episcopus orator humillime petit responsum dari sequenti quaestioni: An ad dictum parochum, si, quod orator timet, non emendetur, propter memoriam profusionem ipsius aliosque huic forte similes beneficiatos applicari, quod S. Conc. Tridentinum sess. 21. cap. 6. de Reform. de iis, qui turpitudine et scandalose vivunt, constituit indeque in eos beneficii privatio statui possit? Sin minus, quibus aliis juris remediis, scandalis, quae tales parochi vel beneficiati sua culpa obaerati publice praebent, ac periculo ex parte illorum imminenti ab Episcopo sit occurrendum“?

Poenam privationis beneficii irrogandum in casu suaderent fortasse Tridentini verba in cit. capite, ubi Clericos scandalose viventes et in scandalo post monitiones perseverantes posse per Episcopum beneficio privari edicunt; et parochum, de quo agitur, revera prodigalitate sua aliis scandalis esse Episcopus testatur. Idque eo vel magis si perpendatur aliam nullam poenam privatione beneficii minorem ad parochi emendationem efficacem existimari.

Sed e contra gravissimam hanc poenam neque jure Sacrorum Canonum neque ex Concilii Tridentini sanctione ad expositae culpae coercitionem merito infligi posse videretur. Canones enim Clericos apostatas, homicidas aliquaque gravioris notae criminibus reos privatione beneficii puniendos decernunt, minime vero alieno aere obaeratos. Tridentina vero Synodus in cit. loco de Clericis concubinariis et libidinis vitio inquinatis loquitur, qui nempe turpiter et scandalose vivunt, ceu se habent verba a

Concilio adhibita, juxta communem DD. sententiam, *Pichler*, cap. 2. de cohab. Cleric. et mulier.

Nec plane efficax proposita poena videretur; quin imo parochus hic beneficio privatus adeoque ad egestatem redactus aere alieno magis magisque gravabitur vel mendicato victicare magno cum ordinis clericalis decoro profecto cogetur.

Ceterum ad occurrendum malis ex nimia istius parochi profusione exortis et ad majora fabricae Ecclesiae damna praecavenda, cum non spes sit fore ut levioris momenti ac disciplinaribus poenis mulctatus resipiscat, videant EE. VV. an expedit ei dem potius bonorum Ecclesiae ac beneficii parochialis administrationem interdicere; hoc juris remedium, quod in prodigos adhibendum dictat lex civilis, justa de causa adhiberetur in casu quoad parochum, qui prodigorum more neque modum neque finem in contrahendis nominibus agnoscit. Administratori vero ab Episcopo deputando committi posset, ut redditus, qui, subductis necessariis ad decentem parochi exhibitionem, supererint, in distrahendis nominibus et in Ecclesiae fabrica redintegranda rependeret.

„Quare etc. Sacra etc.: Non esse locum privationi beneficii, sed potius deputationi ecclesiastici viri administratoris super bonis tam paroeciae quam fabricae, qui subductis necessariis ad decentem parochi exhibitionem, superextantes redditus eroget in dimissionem aeris alieni.“

Die 31. Martii 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 578.)

Habutum et tonsuram deferre tenentur Clerici beneficiati non solum in sacris constituti sed etiam in minoribus et clericali tonsura insigniti subpoena privationis ipso facto ipsoque

jure beneficiorum et pensionum absque ulla monitione ac Judicis decreto, sed beneficia ipsa libere aliis conferri possunt et pensiones cassatae, extinctae dicuntur; Sextus V. Constit. 92. incip.: *Cum Sacrosanctum*. Habitum decentem atque vestem talarem deferre tenentur percipientes fructus vel pensiones ex beneficiis ecclesiasticis excedentes valorum 60 ducatorum auri de camera. Idem Sixth. V. in dict. Constit.: *Cum Sacrosanctum*. Habitum dimittens Clericalem potest illum reassumere non obstante irregularitate superveniente et Ordinarii prohibitione. Sac. Cong. Concil. in Mazarien. 27. Julii 1630 et in Regien. 29. Nov. 1692 apud Monacell supplement. ad tom. 2. n. 199. Clericalis vestis laicis curialibus permittitur, praeter collare, quod sit a collari Clericorum diversum: Bened. XIII. in Concilio Romano tit. 16. cap. 4. ibi: „Laicis vero curialibus, cum saepe sit eis in Palatio nostro Apostolico versandum, saepissime etiam cum Cardinalibus et Praelatis agendum, togam clericalem nigram communem facimus; et collaria Clericorum propria, sive rotundae sint formae sive quadratae, penitus prohibemus eisdem et prohibita jam sibi esse scient, tenore servato nostri edicti die 22. Jan. 1725 expediti.“

Irregularitas ex homicidio voluntario non impedit reassumptionem habitus clericalis et Episcopus procedat prout de jure. Sac. Cong. Immun. in una civitatis ducalis 10. Martii 1699 lib. 2. decr. Vallem. p. 206. Clericus reassumens habitum post commissum homicidium gaudet privilegio quoad personam tantum. Ead. Sacr. Congr. Immun. in Gravinen 1. Julii 1699 d. 1. p. 230.

Item Clericus, qui post renunciationem Clericatus inquisitus a curia laica denuo reassumpsit habitum, gaudet privilegio quoad personam tantum.

Ead. Sac. Cong. Immun. in Spolehana 20. Novbr. 1696 l. 2. decr. Vallem. p. 49.

Similiter Clericus, qui per duas vires renunciavit privilegio clericali et ista renunciatio acceptata fuit ab Ordinario, potest denuo reassumere habitum et gaudere. Ead. Sac. Cong. Immun. in Marsicen. 22. Apr. 1622 l. decr. Grim. p. 121.

Inquisitus de pluribus delictis et obligatus ad ratiocinia ob officium Syndici communitatis, de consensu Episcopi reassumens habitum clericalis, licet habeat uxorem et filios, gaudet privilegio quoad personam, non quoad bona. Ead. Sac. Cong. Immun. in Sorana 2. Junii 1693 l. 1. decr. Vallem. p. 51.

Item gaudet privilegio fori Clericus reassumens habitum, postquam exercit Officium Notarii, administravit publicum archivium ac alia officia Laicalia. Ead. Sac. Cong. Immun. in Narnien. 30. Septbr. 1698 l. 2. decr. Vallem. p. 178.

Clericus conjugatus soluto Matrimonio rite potuit reassumere habitum cum decreto Episcopi. Ead. Sac. Congr. Immun. in Anglonen. 19. Aug. 1698 l. 2. decr. Vallen. p. 169.

Archiepiscopo injungitur, ut adducat rationes cur denegat reassumptionem habitus clericalis. Ead. Sac. Congr. Immun. in Tranen. 2. Decbr. 1692 lib. 1. decr. Vallem. p. 8.

Quidam Episcopus denegans seu impediens reassumptionem habitus adduxit sequentes causas:

I. Quod toto tempore habiti Matrimonii cum Virgine et unica non incesserit in habitu.

II. Quod non posset promoveri ad superiores Ordines ob imperitiam et podagrae morbum.

III. Quod non reddiderit rationes administrationum locorum piorum juxta Ordines Episcopi.

IV. Quod exercuerit macellum et laridarium.

V. Quod esset Usurarius.

At cum primae tres causae militent in promovendis, non in promotis, duae autem ultimae non justificantur, Sacra Congregatio pronunciat: *Orator utatur juro suo quoad reassumptionem habitus.* Eadem S. C. Immun. in una civitatis ducalis 13. Jan. 1699 lib. 2. decr. Vallem. p. 197.

Eugenius IV. ad Clerum Urbis.

Clericorum mores in melius reformati et Clerici ipsi continenter et caste vivant, quod nulli, et maxime ecclesiastica beneficia obtinentes, in sua domo vel alibi retineant concubinas aut mulieres de fornicatione suspectas, de quibus aliqua sinistra suscipio valeat exoriri, sub simili et juris communis poenis.

Nullus ludere praesumat ad arandum sive ad taxillos aut ad aleas, nec forte digitos ludere non audeant sive cartas, aut aliquem ludum in taberna aut loco publico sive privato, in quo ludat pecunias aut vinum aut prandium sive coenam sive minimum, quod comedibile, sub poena inferenda.

Nullus Clericus Beneficiatus, cuiuscumque conditionis, praeminentiae aut status existat, praesumat manicas ad saccam aut largas, more hominum saecularium, suo vestimento portare, quae manicae palmo cum dimidio latiores non sint, sub poena inferenda.

Nullus calligas divisatas seu solatas aut caputum, quod ultra unam cannam panni contineat, seu arma offensiva vel defensiva portare praesumat, sub poena inferenda.

Nullus Clericus Beneficiatus, cuiuscumque status sive conditionis existat, de caetero portet comam patentibus auribus, quae tangat aures, coronam

vero rotunditatis unius magnae hostiae quilibet honeste ferat; nemo propterea attonsus incedat, sed in coma, ut superius dictum est, ut Clericus, non Laicus, cognoscatur, reformatum; contrarium facientes nullo gaudent privilegio clericali, sed ut laici puniantur et reputentur, et alias, arbitrio dicti domini Vicarii, castigentur.

Nullus Clericus aut Canonicus, cuiuscumque status, gradus et conditionis existat, qui in Urbe beneficium aut beneficia habet, debeat tenere vel regere seu habere aliquod officium saeculare in Urbe aut extra Urbem Clericis interdictum; qui vero contrarium fecerit, ipso facto, sententiam excommunicationis incurrat et beneficia ipsius libere et licite impetrari, ut supra possint, pronunciantes ex tunc, eos, ipso facto, omni beneficio ecclesiastico privatos ac omni clericali privilegio denudatos.

Nullus Clericus exerceat artem aliquam Clericis interdictam; si quis autem contrarium fecerit, poenam arbitrio Nostro et successoris Nostri imponendam incurrat, nec sit opus, in casu praedicto ipsum Clericum moneri, cum jura disponant, quod quilibet Clericus appareat in totum Clericus clericalia exercens, et non semiclericus et semilaicus.

Die 23. Febr. 1432.

(Bull. r. t. V. p. 7 etc. Ed. Aug. Taur. 1860.

20) Imperitus ritus.

Vd.: *Ritus* (Sacerdos etc.); *Missa* (*ritus*, decr. de die 16. Jan. 1649); *Ritus roman.*

21) Sacerdotis saecul. ingressus in Ordines Regulares.

Vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 14. Jan. 1747 (Bull. r. t. XVII. p. 101).

22) Inhabilis.

Vd.: *Sacerdos caecutiens et paralyticus*; *Ordinatio caeci.*

a) Apoplexia laborans.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Ambrogio Custodi Canonico Confessore et Maestro di Casa nella Collegiata del borgo di Busto-Arsizio di questa Archidioecesi di anni 58 veniva nello scorso anno colpito di un attacco apopletico, che gli lasciava offensi di paralisi il braccio, e la mano destra. Restandogli però integre le facoltà mentali, libera la pronunziazione, e sufficiente sanità, egli si abilitava con l'esercizio della mano sinistra (colla quale arriva a scrivere chiaramente) a compiere le ceremonie prescritte dalle Rubriche alla celebrazione della s. Messa per modo che il Paroco Proposto locale dopo di aver assisto ad un apposito esperimento, attestavami che i riti, e le ceremonie erano praticate con precisione, regolarità, convenienza, e decoro, e quindi che si potea accordare al medisimo Canonico la grazia di celebrare la Messa. La sola ceremonia, che non eseguivasi da esso a rigore di Rubrica, era la frazione dell' Ostia prima del *Pater noster*, poichè in vece di rompere le specie sacramentali sull'estremità della coppa del Calice, la frazione era fatta sulla Patena, dopo di che la particella dell' Ostia veniva posta regolarmente nella tazza del Calice a sensi della Rubrica del Rito Ambrosiano. Dalle quali informazioni potendo io desumere, che la paralisi del braccio, e della mano destra fosse a tal punto da permettere qualche movimento, e conoscendo dal complesso delle circostanze riferite che l'irregolarità *ex defectu* non fosse che dubbia, credetti concedere a quel Sacerdote piissimo di riassumere colle debite cautelae la celebrazione della

santa Messa, come di fatto egli fece per circa tre mesi.

Ma come io venni, dietro più esplicite informazioni a riconoscere il di lui fisico impedimento maggiore della mia prima supposizione, essere cioè il braccio, e la mano, destra veramente inoperosi, come lo sono anche presentemente, lo indussi a desistere dalla celebrazione della Messa, finchè si fosse ottenuto la Pontificia dispensa dalla irregolarità certa.

Ritenuto ch'è rimoto il pericolo di scandalo, stante che quelli, che assistettero alla Messa celebrata dal Canonico Custodi col detto impedimento lunghi dallo scandalizzarsi, rimasero edificati, come mi si attesta, nell' osservare le ceremonie esattamente eseguite, e nel vedere la divozione del Celebrante, senza che mai sia accaduto alcun' inconveniente benchè minimo tanto in riguardo alle specie Sacramentali, quanto rapporto alla dignità, e decoro devoto ad azione così augusta e santa, e atteso attresi, che il suddetto Sacerdote merita i più benigni riguardi per la sua esemplare pietà, e virtù, onde gode di molta stima in quel popoloso Borgo, nella mia qualifica di Arcivescovo di Milano, oso vivamente raccomandarlo alla Santità Vostra, perchè benignamente si degni graziarlo dall' eposta irregolarità *ex defectu*, onde possa aver la consolazione di poter riassumere la celebrazione della santa Messa. Che della grazia ec.

„Sanctissimus, referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis testimonialibus literis Rmi Archiepiscopi Mediolanen. habitaque in scriptis sententia alterius ex Consultoribus Theologis, de speciali gratia eidem Antistiti facultates omnes necessarias et oportunas tribuit, ut Oratorem dispensare valeat super expressa irregularitate *ex defectu*, adeo ut cum

assistantia alterius Sacerdotis cotta induti iterum sacrosanctum Missae Sacrificium licite ac libere celebrare queat, attamen in Ecclesiis loci tantum, ubi cognito infortunio scandalum removetur, dummodo post formale experimentum coram Caeremoniario episcopali vel alio Sacerdote in ecclesiasticis Caeremoniis apprime versato ab ipso Sacerdote iterandum nil aliud impedit quominus Missam celebret. Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

N. 5142 die 27. Sept. 1848.

Vd.: *Sumptio SS. Sanguinis cum Fistula; Hostia* (qua manu etc.); *Missa* (Celebrans sedere non debet — Epistola PP. Bened. XIV. n. XXXI. . .); *Missa* (ritus).

b) Brachiis laborans.

Ad dubium: An Sacerdos habens curam animarum et impeditus in uno brachio, quocirca non potest cum utraque manu elevare SS. in Missa nisi usque ad os, una tantum manu possit idem elevare supra caput, ita ut videri et adorari valeat ab adstantibus?

S. C. resp.: Sacerdos praedictus absque dispensatione apostolica non celebret; interim per alium sacerdotem suppleri ne parochialis Ecclesia sibi debito destituantur obsequio.

N. 2116 die 2. Jul. 1661; 26. Sept. 1682.

Supplicatum fuit pro dispensatione et concessione facultatis consecrandi et elevandi s. hostiam et dandi benedictionem et faciendi alias functiones cum manu sinistra, quod dextra sit impedita ab apoplexia.

S. C. resp.: *Abstineat.*
n. 2998 die 26. Sept. 1682.

Sacerdos Franc. Gerata non valens sumere hostiam consecratam manu

dextera, supplicavit pro licentia sumendi cum sinistra.

S. C. resp.: *Lectum.*
Die 18. Mart. 1654.

Il Sacerdote Croce Bongiovanni del Commune di Leonforte Diocesi di Nicosia in Sicilia espone essere disgraziatamente attaccato da una semiparalisi, la quale mentre ha lasciato liberi tutti i movimenti del corpo, compresa la loquela, gli impedisce di poter alzare il braccio sinistro nell'elevazione della s. Ostia nel celebrare la s. Messa; ed è per questo che umilia al Trono della Santità Vostra le più umili sue preghiere, perchè si degni abilitarlo a celebrare servendosi della sola mano destra nella elevazione, ed altre ceremonie del santo Sacrificio. Che ec.

„Sanctissimus D. N. Pius IX. P. M., attentis expositis ac referente subscripto S. R. C. Secretario de speciali gratia benigne annuit juxta preces, dummodo privatim celebret cum assistentia alterius Sacerdotis.“

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

N. 5056 die 20. Nov. 1846.

Aretin.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Giuseppe Teoni della Diocesi di Arezzo espone umilmente alla Santità Vostra, come tenendo egli colla manu sinistra un certo suoco di arteficio, queste esplose improvvisamente, per lo che ferita, anzi totalmente guasta la mano sudetta, credettero i professori di venirne all' amputazione per ovviare la cangrena. Dall' epoca in cui avvenne la fatale disgrazia a tutt' oggi, il misero Oratore altro non ha fatto che addestrarsi, onde supplire colla sola mano destra a tutte le ceremonie della santa Messa, come gli è di fato riuscito. Di ciò

fa ampia testimonianza il suo Vescovo nell' annesso attestato, da cui risulta, che fatto privato esperimento, egli senza bisogno di altri aiuto, si veste, e si spoglia degli abiti sacri, senza che il pubblico si avvegga della mancanza della mano, ed eseguisce tutte le altre funzione. Supplichevole pertanto egli ricorre alla somma clemenza della Santità Vostra onde in vista di quanto ha esposto, si degni permettergli la celebrazione della s. Messa. Che ec.

„Sanctissimus D. N. Pius IX. referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis ac praesertim Rmi Episc. testimonialibus commendatitii literis de speciali gratia benigne annuit juxta preces, dummodo vero Orator privatim celebret et cum alterius Sacerdotis assistentia.“ Contrariis etc.

N. 5059 die 18. Dec. 1846.

Il Sacerdote Giuseppe Teoni della Diocesi di Arezzo umilmente espone, che con venerato Rescritto del 18. Dicembre 1846 gli fu accordata facoltà di celebrare la santa Messa: *dummodo tamen Orator privatim celebret et cum assistentia alterius Sacerdotis*, e ciò per essere l' Oratore mancante della sola mano sinistra, mostruosità che viene occultata per mezzo di una mano artificiale che chi nol sà non la distingue dalla destra illesa, e con questa sola si è reso atto ad adempire con sicurezza, ed esattezza a tutte le ceremonie col preparare prima di andare all' Altare l' Ostia, perchè si presti a potersi dividere. Il che testificano tanto il Vicario Foraneo, che gli altri Parochi, e Sacerdoti, che hanno assistito l' Oratore in questo tempo come da Testimoniale di Monsignore Vescova Diocesano, il quale certifica che il Teoni celebrando in pubblico il Divin Sacrificio non può cagionare la menoma ammirazione

degli Astanti. La difficoltà di potersi fare assistere dal proprio Parroco, ch' è l' unico Sacerdote del suo paese, e la necessità di procurarsi l' elemosina della Messa, onde vivere; in vista della menoma ammirazione, che dà agli astanti, supplica l' Oratore la Santità Vostra a concedergli la facoltà di poter celebrare in pubblico, e senza l' assistenza. Che ec.

„Sanctissimus D. N. Pius IX. referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis potissimum Rmi Episcopi literis commendatitii, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, dummodo tamen prius Episcopus ipse experimentum coram se instituit, quo certior fiat locum revera non esse indecentiae et admirationi, caveatque ac stricte praecipiat, ut nullimode sacramentales species cum fictitia pertrahantur.“

Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

N. 3097 (sine dato; est intra 13. Aug. 1847 et 10. Sept. 1847).

Abellinen.

Apopletico morbo correptus elapsò anno Sacerdos Canuelus, quamvis postea convaluerit, talem nihilominus passus est in sinistro brachio laesionem, ut ejus ministerio in Sacro peragendo uti nequeat. Siquidem laeva manus inepta est ad sustinendum calicem, dum in elevatione populo ostenditur atque etiam dum attollitur in iis ex Canone verbis: „omnis honor et gloria.“ Inutiliter etiam ejusdem manus auxilium quaerit ad fragandam ss. Hostiam super calicem eamque particulam dividendam, quae postea in calicem ipsum immittitur; verum fractionem ipsam et divisionem super patenam commodo valet perficere.

Cum itaque dictus Sacerdos alimenta habere non possit ex fructibus tantum